Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Adam Schertzer Albert Balemann

# [...] Parallelismus Calvino-Nestorianus

Lipsiae: Literis Spörelianis, 1679

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786504005**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts
Bibliothek
Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786504005/phys_0001
DFG

A–D A. B 52 b. 6.

Fr. A–K A–H

26 p

Fr. A–F. A–C

20 p A–E

A. B A

34 p A–D

A. B A–D

A–G A–F

52

Fa-1092 (52.)

24 p

31

A. B

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786504005/phys_0002

# DISPUTATIONES THEOLOGICÆ MISCELLANEÆ. Tomo hoc XCVII. comprehensæ.


Scrutinium Scripturæ Sacræ. Pr. Pell. 1.
Conformitas Judæo-Papistica in loco de Scriptura Sacra. Pr. D. M. Gesero. 2.
De Analogia Fidei. Pr. D. Abr. Callovio. 3.
De Interpretatione Scripturæ S. P. Mylio 4.
De SS. Scripturæ Authoritate, Perfectione ac Perspicuitate. Pr. M. El. Veielio 5.
De Hermeneutica vera et falsa. ad 2. Pet. 1. v. 20. 21. Præs. D. B. Bebelio. 6
De Cognitione DEI Definitiva, an detur. Pr. M. Joh. Wemmanno. 7.
De Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. Sebast. Niemanno. 8.
De Personarum divinarum distinctione, an et quænam illa sit. Præs. Eodem 9
De Actione DEI prima in tempore, quæ dicitur Creatio. Pr. M. Joh. Wemmanno. 10.
De Permissione divina circa peccata. Pr. D. Christiano Chemnitio. 11.
De Apparitionibus Dæmonum. Pr. D. Joh. Meisnero. 12
De Natura et Quidditate Luminis Gloriæ. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 13.
De Peccato Veniali. Præs. Eodem. 14.
De Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. M. Joh. Wemmanno. 15.
De Phrasi Scripturæ, qua DEUS dicitur Indurare, Excœcare, &c. Pr. D. S. Schmidt. 16.
De Viribus Liberi Arbitrii in Conversione. Pr. D. Sebast. Niemanno. 17.
De Actione DEI prima ab æterno, quæ dicitur Prædestinatio. Pr. M. J. Wemmanno. 18.
De Phrasi Scripturæ, Deletionis à libro Vitæ. Præs. D. Sebast. Schmidt. 19.
De Foemina Circumdante Virum, tam quam novo, quod creavit Dominus. ex Jerem. 31. v. 22. Pr. Habichhorstio. 20.
De Aphorismo Joh. c. 1. v. 14. Verbum Caro factum est. Pr. M. Joh. Wemmanno. 22
Quinque Aphorismorum Theolog. de Incarnatione Filii DEI Domini N. J. C. Præs. Eodem. 21.
De Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. v. 16. DEUS manifestatus est in Carne. 23. Eod.
Parallelismus Calvino-Nestorianus. Præs. Johanne Adamo Scherzero. 24.
De Triplici Officio Christi. Præs. D. Michael Dehmio. 25.
De Problemate Theologico, An Articulus Fidei de Ascensione Christi in Coelos quicquam deroget veræ Corporis et Sanguinis Ejusd. Præsentiæ in S. Coena. Præs. D. Coelestino Myslenta. 26.
De Poenitentia Bestiarum Ninivitica, ad Jon. c. 3. comm. 7. 8. Præs. Joh. Friderico Mayero. Licent. 27.
De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan. Andr. Quenstedt. 28.
De Numo Confessionario, vom Beicht-Pfenning. Comment. Auth. D. P. Müller. 29.
De Satisfactionibus propriis pro poenis temporalibus remissa culpæ in hac Vita. Pr. D. Joh. Dehmio. 30.
De Regula Juris Naturæ. Pr. D. Bebel. 31.
De Conficto Pontificiorum Septenario Sacramentorum Numero. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 32.
De Baptismo. Pr. M. Lev. Pouchenio. 33.
Quæst. Cas. Cum Abstemiis quid agendum in SS. Synaxi sit. 34. Eod.
Analysis quæst. ex 1. Cor. 10. Præs. D. Joh. Dehmio. 35.
De Fide in Messiam Patriarchali ex Genes. 49. v. 18. Pr. D. S. Schmidio. 36.
De Bonis Operibus. Pr. M. J. Wemman. 37.
De Bonis Operibus. Pr. D. S. Nieman. 38.
De Bonorum Operum Necessitate. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 39.
Idea Clavis Ligantis. Pr. D. Dannhawer. 40.
Τῶν νοναχῶν τε νονασ[illegible] Exercitibus. Pr. G. Greenio. 41.
Purgatorium exustum contra Papistas. Pr. D. Joh. Adamo Scherzero. 42.
De Reliquiis Christi et Sanctorum Earum cultu. P. D. S. Niemanno. 43.
De Resurrectione Mortuorum. Pr. M. Lev. Pouchenio. 44.
De Resurrectione Impiorum. Pr. D. Johanne Meisnero. 45.
Contra Empæctas Promissionis Adventus Christi Ultimi. Pr. D. Wemm. 46.
De Gemitu Creaturæ non Intelligentis. Pr. D. J. Christophoro Ottone. 47.
De Appellatione ad supremum Judicem Jesum Christum. P. J. E. Gerhardo. 48.
Fasciculus Viventium. Præs. D. Sebastiano Schmidio. 49.


Collectæ à M. Antonio Ulrico Hopffero. Augustano. Comp. Tubingæ. Anno 1680 d. 14. Junii.

V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786504005/phys_0004
DFG

עמי׳ עשן

# PARALLELISMUS CALVINO-NESTORIANUS,

PUBLICA DISPUTATIONE
SUB PRÆSIDIO

D. JOH. ADAMI SCHERZERI,
SS. TH. PROF. PRIMARII,

d. XV. April. in Auditorio Theologorum Paulino
ab horâ IIX. mat.

OSTENSUS
ab

AUCTORE & RESPONDENTE
ALBERTO BALEMANNO, Lubec.

LIPSIÆ
ANNO cIↃ IↃc LXXIX.

---

Literis SPÖRELIANIS.

Συνεργοῦντος τοῦ Θεοῦ.

# PROOEMIUM.

QVàm indefeſſum ſemper fuerit Diaboli ſtudium in venerando illo, & ὁμολογουμένως magno Incarnationis Myſterio odioſè exagitando, qvin imò ſunditùs evertendo, ingens illa peſtilentisſimorum Hæreticorum caterva, clarisſimis Patrum temporibus graſſata, abundè teſtatur. Ubi cum Neſtorium (ut qvi, atteſtante α) Socrate & β) Evagrio, *totius Diabolicæ neqvitiæ capax inſtrumentum, vereq́; totius Eccleſiæ incendium & officina blaſphemiæ* extiterat) collabi, ejusdemq́; nomen emori Diabolus perſentiſceret; novas ſubinde ejusdem farinæ ſectas, variatô tantùm colore, aliisqve nominibus inſignitas, ſubſtituit. E qvibus non infimi qvondam fuêre Agnoëtæ, qvorum Hæreſis deſcripta habetur apud γ) Nicephorū, δ) Chemnitium, & alios qvàmplurimos. Hodiè Neſtorium penes Calvinianos inveniri redivivum ſi dixerim, non aberrabo forſan à veritate, cùm idipſum non affirmârint ſolùm Orthodoxi hactenus, ſed & ſolidè confirmârint, adeò, ut vix qvicqvam in hoc qvidem genere dici poſſit, qvod non ſit dictum prius. Qvin, ſi vel nihil in hoc negotio ſcriptum eſſet à qvoqvam, qvàm qvod in Libr. Symbol. F. C. habetur, ſufficere id ad veritatem demonſtrandam, & qvorumvis Adverſariorum argu-

α) *l. 7. c. 29.*
β) *l. 1. c. 2.*
γ) *Hiſtor. Eccleſ. l. 18. c. 50.*
δ) *lib. de duabus in Chriſti Natur. c. 24. p. 174. b.*

tias fortiter refellendas abundè poſſet. Verumtamen, cùm in Religione illud inprimis valeat, ut de iisdem eadem dicantur, & ſcribantur, tantùm abeſt, ut me ab inſtituto meo dimotura ſint Theologorum noſtrorum ſcripta, qvæ in hanc rem proſtant eruditisſima, ut potius incitamento ſint futura, inprimis, ſi qvæ Tanti VIRI uberiùs & fuſiùs pertractârunt, in compendium redigere pro virili allaborem. Antè verò qvàm ad collationem progrediamur, qvæ Vita Neſtorii, qvæve in genere ejusdem fuerit Hæreſis, in anteceſſum præmittemus. Ex multis audiamus ε) Socratem, ζ) Evagrium & η) Nicephorum, qvi referunt, qvòd Neſtorius natione Syrus fuerit, ex oppido Germanicéa oriundus, homo cumprimis voce ſonorâ, lingvâqve diſertâ, verùm imperitus, & doctrinæ ignarus, qvi ſubindè ſedes mutans, famâ ſanctæ cujusdam & inculpatæ vitæ tandem ad Epiſcopatum Antiochenum pervenit. Mortuô autem Eccleſiæ Conſtantinopol. Patriarchâ Siſinniô, evocatus Neſtorius Conſtantinopolin unà cum Anaſtaſio, cujus conſvetudine ſemper uſus, qvi certaminis infelicis θ) fax & tuba fuit. Docuerat enim qvodam tempore Anaſtaſius iſte in Eccleſia: Nemo Mariam Deiparam vocet; fuit enim homo Maria, ex homine autem Deum naſci eſt impoſſibile. Hæc verba omnium animos tàm Clericorum, qvàm Laicorum magnoperè conturbârunt, qvippe, qvi jam olim didicerant, Chriſtum eſſe verum Deum, & neqvaqvam propter Incarnationis Myſterium tanqvam ſolum hominem à divinitate ſeparatum. Cùm igitur tumultus hac de re in Eccleſia ortus eſſet, moleſtéq; ferret populus, meliora edoctus, verba Anaſtaſii, rem omnem detulit ad Neſtorium, exiſtimans fore, ut Presbyterum ſuum, tanqvam blaſphemias in Chriſtum eructantem, corrigeret. Sed

ε) Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 32.
ζ) l. 1. c. 2.
η) l. 14. c. 32. ſeqq.
θ) vid. Centur. Magdeb. V. c. 5. p. 606.

tantum

tantum aberat ut corrigeret Anaſtaſium, ut potius hæreticam ipſius opinionem & craſsiùs efferret, & blaſphemis magis additamentis augeret Neſtorius, cùm & ipſe diſtinctis in concionibus vocem θεοτόκος ut impiam non ſolùm rejiceret, verùm etiam alia afferret παράδοξα, inter qvæ, annotante ι) Socrate, & hæc erant: *Eum Filium, qvi ex Maria natus eſſet, Dei Filium eſſe, neqve tamen Deum, per contumeliam enim eum trimeſtrem Deum appellabat.* Rurſus: *Noli gloriari Judæe, non enim Deum, ſed hominem crucifixiſti.* Viciſſim: *Maria non Deum, ſed hominem peperit*, adeòqve unionem perſonalem turpiter ſolvit. Eqvidem non tantùm Clerus Conſtantinopolitanus, verùm etiam præter alios acerrimo ſtudio ei contradixit κ) Cyrillus, Epiſcopus Alexandrinus, blandè eum primò per literas admonens, ut abſtineret ejusmodi loqvendi modis, cumq; nihil efficeret, integros tres libros conſcripſit adverſus Neſtorium, in qvibus totam ſinceræ doctrinæ rationem apertis Scripturarum teſtimoniis confirmavit. Neſtorio igitur animadvertente, ſe & auctoritate, & eruditione Cyrilli premi, ad uſitata Hæreticis artificia fugit, dicens: ſe, ad ſuſcipiendum hoc inſtitutum, neceſsitate fuiſſe adactum, cùm eſſent in Eccleſia, qvi Mariam θεοτόκον, alii ἀνθρωποτόκον nominandam affirmarent, ſe, ad utrumqve ſcopulum evitandum, vocem χριστοτόκος excogitaviſſe. Deniqve, poſt multa alia, qvæ utrinq; acta ſunt, Synodus Provincialis à Cyrillo Alexandriam coacta fuit, in qva, lectis & examinatis epiſtolis, ut & iis, qvæ pro concionibus attulerat Neſtorius, hæreticus ipſe pronunciatus eſt. qvod cum nihili duceret Neſtorius, ipſe imprudenter poſcens Concilium Oecumenicum, mandavit Theodoſius II. Imperator, ut Epiſcopi conveni-

ι) l. d. c. 34.

κ) vid. Evagr. l. 1. c. 9. & confer. Centur. Magdeburg. V. c. 5. p. 607.

venirent Epheſum, id qvod etiam factum Anno Chriſti 431, in qvo Concilio denuò examinatis & probè excusſis Neſtorii dogmatibus, Epiſcopatûs dignitate ipſe exutus, & damnatus eſt. Atqve hæc de vita Neſtorii, ejusdemq; Hæreſi in genere. Qvos verò in ſpecie foverit errores circa Unionem Perſonalem, ejusdemqve conſeqvens, Communicationem Idiomatum, ne Procemii limites transgrediar, jam jam dicetur, ita, ut, præmiſſo genuino Controverſiæ ſtatu, errorem Neſtorii ſimul eſſe & Calvinianorum, cuivis liqvidò conſtet.

# SUMMA
# PARALLELISMI CALVINO-NESTORIANI.

A) Rationem ſecuti B) Calviniani, C) negatione realis Communicationis Idiomatum carni aſſumptæ factæ, D) qvicqvid etiam in contrarium dicant, E) cum Neſtorio F) duas de facto in Chriſto conſtituunt Perſonas.

## THES. I.

*a) edit. Witebergenſ. An. 1527.*

A) QVæ B. Lutherus in a) Lib. daß dieſe Worte Chriſti noch feſte ꝛc. [jam tum prævidens, qvid moliretur Spiritus Calvinianus] memoriæ prodidit, *ſibi perſvaſum eſſe, Cinglianos in cordis ſui penetralibus neqve de Deo, neqve de Dei potentia qvicqvàm credere, idq; ſe pro certo habere*, qvæ, inqvam, tunc temporis prævidit Lutherus, dudum Calvinianos & doctrinis, & ſcriptis ſuis teſtatum dediſſe, cordato cuivis ſatis abundè conſtat.

## II.

Ut enim jam nihil dicam de intolerabili Calvinianorum ambitione & inſolentiâ, qvâ excœcati, ea ἀπαιδεύτως CHRISTO denegare non erubeſcunt, qvæ cœca ipſorum ratio capere neqvit; certum eſt, tantum eosdem tribuere Rationi, ut non credant

eſſe

eſſe poſſibilia, niſi, qvæ ratio humana fieri poſſe judicat, adeò, ut qvousqve ſe extendit ipſorum intelligendi capacitas, eò etiam tantùm pertingat Dei poteſtas, ubi illa deficit, ibi & hæc deficiat. Qvod ipſum non demonſtrârunt ſolùm (β) Noſtrates hactenus; ſed & ipſe Zwinglius, Calvinianorum Propugnator acerrimus, in Colloq. Marpurg. affirmare auſus γ) his verbis: Deus non proponit nobis res incomprehenſibiles. Subſcribit Zwinglio δ) Vedelius, *nullam fidei certitudinem* abſqve principiis naturæ, & rationis *dari* audacter affirmans. Conf. D. Welleri Diſput. contra Maſſonium de Rationis abuſu in Theol.

β) *vid. Danhavr. in Hodom. Calvin. Phantaſm. 1. per totum, & plures apud ipſum.*

γ) *conf. Menzer. in Exeg. A.C. art. 2. p. m. 78. collat. cum Art. 18. p. 777.*

δ) *l. 2. Rat. c. 14.*

## III.

Qvô ipsô Neſtorianiſmo viam parari, & infinita propemodum abſurda in multis naſci Articulis, in eo præ ceteris, qvi agit de Perſona Chriſti, in qvo & in præſens Calviniani à nobis conſiderantur, ecqvis non videt?

## IV.

B) Neqve tamen omnes, qvos fovent Calviniani de Perſona Chriſti errores, nunc qvidem attendimus, ſed illos ſolùm, qvos habent communes cum Neſtorianis. Aliàs ex ſcriptis eorum videre licet abundè, qvod in eodem Articulo de Perſona Chriſti & magnam cognationem habeant cum veteribus Arrianis, aſſerentes, Chriſtum, tanqvàm Perſonam miſſam, eſſe Patre ε) minorem ſive inferiorem. *Chriſtus*, inqvit ζ) Sohnius, *ſecundùm* utramqve naturam *exinanitus & exaltatus eſt.* Et mox: *Reſurrexit Chriſtus ſecundùm* utramqve naturam. Conf. η) Danhawerus, & vid. de his, & aliis, in qvibus Calviniani Arrianorum veſtigiis firmiter inſiſtunt, eruditè diſſerentem θ) D. Philipp. Nicolai. Conf. ι) Frider. Petri, & κ) Geſnerum. Aſſentiuntur Agnoëtis in eodem Art. vid. λ) Philippus Nicolai, & μ) Hoë, qvi eosdem etiam cum Turcis facere ex profeſſo obſervat.

ε) *vid. Grynæus in Diſp. de dicto Chriſti: Pater major me eſt.*

ζ) *in Exeg. A. C. p. 245. ſqq.*

η) *in Hodom. Calvin. Phantaſm. 8. p. 1671. collat. cum p. 1675.*

V. C)

θ) *in detectione ſua fundam. Calv. ſectæ cum veteribus Arrianis communium integris 7. capp.* ι) *in Calvin. Neſtor. c. 1. p. 23. 29. c. 12. c. 23.* κ) *in Diſpp. pro L.C. diſp. 13. p. 423.* λ) *l. d. c. 10. p. 48. conf. c. 12. p. 54.* μ) in der unvermeidentlichen Rettung Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen Gewiſſens-Frag ꝛc. *fol. 20. ſeqq.*

## V.

C) Calviniani igitur, ſtrenuè ſecuti Magiſtrum ſuum, tantos progreſſus fecêre, ut inter ipſos, & Neſtorium vix ac ne vix diſcrimen obſervari liceat, niſi, qvod & qvandoqve ſuperare illos Præceptorem ſuum deprehendas. qvod enim Hic conceſſit qvondam, aſſumtam videlicet humanam Naturam verè coädorari cum λόγῳ, duabus qvidem adorationibus ſeorſim, ſed tamen coädorari, adeòqve cum λόγῳ eſſe religioſæ adorationis objectum, idipſum pervicaciſſimè negant Calviniani, prorſus removendam eſſe clamantes humanam Naturam à religioſâ DEI, divinæqve Naturæ, etiam in Chriſto ipſo, adoratione. Qvod ne temerè ipſis affingere videamur, audiamus Danæum, ν) cujus verba hæc ſunt: *Adoratio non in ipſam carnem Chriſti*, etiam in ὑποστάσει Filii Dei manentem, *dirigenda eſt*. Proindè, tametſi ξ) qvædam negent, affirmata Neſtorio, & qvædam affirment, negata Neſtorio; in eo tamen, qvod nunc qvidem maximè attendimus, cum Doctore ſuo amicè conſpirant ad unum omnes, qvod negatione realis Communicationis Idiomatum divinorum, Humanitati Chriſti factæ vi Unionis Perſonalis cum λόγῳ, ſolvant Unionem Perſonalem. Vid. ο) Hutterus, π) Gerhardus, ρ) Schröderus.

ν) *in Exam. Chemnit. pag. 418.*

ξ) *vid. Schröderus de Neſtor. contra Grabium p. 15. 16.*

ο) *in Colleg. Theol. de Art. A. C. & F. C. diſp. 31. p. 355.* π) *in diſpp. Iſagog. L. VI. c. 10. § 52.* ρ) *l. d. p. 64. ſeq.*

## VI.

D) Jactant eqvidem Calviniani, inprimis σ) Danæus, qvem ſeqvuntur τ) Johan. Crocius, υ) Sohnius, & φ) alii, qvòd verâ fide confiteantur, & credant, totum λόγον carni aſſumptæ hypoſtaticè eſſe unitum, & Naturas, divinam & humanam in unum ὑφιστάμενον conveniſſe, ideoqve injuriam ſibi fieri vociferantur, cum ſententia ipſorum accuſetur Διαιρέσεως Neſtorianæ. Verùm, notanda hîc Calvinianorum inconſtantia. Qvod enim verbis apertè profitentur, & defendunt, in eo reipſa ſibimetipſis ſine pudore contradicunt. Vid. χ) Carpzovius in Specim. Theolog. Chemnit. Scilicet, & in hoc probè edocti à Magiſtro ſuo, ut qvi conſtanter & magno zelo aſſeruit, unam eſſe Chriſti Perſonam, uti jam jam oſtendetur pluribus. Nihilominus Epheſini Patres Neſto-

σ) *in Reſponſ. ad Tubing. p. 17.*

τ) *in Converſat. Prut. c. 10.*

υ) *in Exeg. A. C. p. 223. & 430.*

φ) *vid. Schröderus l. d. p. 19.*

χ) *p. m. 195.*

rium

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786504005/phys_0012
DFG

rium in fundamento ſtatuere deprehenderunt, duas eſſe Chriſti Perſonas: cum tamen hoc Neſtorius verbis non docuerit, ideoqve injuriam ſibi fieri conqveſtus ſit. Conf. ψ) Grawerus in Prælect. ſuper A. C.

## VII.

Repetimus E. denuò, qvod, annotante ω) Geſnero, Epheſini Patres maximè urſerunt contra Neſtorium. Qvi negat proprietatum ſive Idiomatum realem Communicationem, ille dividit Perſonam Chriſti, adeoqve Perſonæ unitatem tollit. Calvinianos negare realem Communicationem Idiomatum, ſuo loco ex propriis ipſorum verbis per ſingula genera oſtendendum erit. E. Major. Propoſitionem in dubium qvidem vocare conantur Calviniani, ſed fruſtrà. Neceſſitati enim alicujus conſeqventiæ nihil decedit, etiamſi vim ejus non agnoſcat adverſarius. Exemplo nobis ſint Pſeudo-Apoſtoli, qvi nunqvàm conceſſuri erant, Chriſtum fruſtrà mortuum, id tamen ex eorum doctrina αα) gentium Doctor colligit. Num hodiè largituri ſunt Papiſtæ, ſe eſſe idololatras? id verò ex ipſorum dogmatibus hactenus unà nobiſcum ſolidè probârunt Calviniani. Conſtat ergò vel omnibus, juſtam, & liqvidam conſeqventiam, qvalis & hæc eſt, non pendere ex perverſo intellectûs judicio, ſed connexione ſententiarum. Vid. ββ) Danhawerus in Hodomor. Calvin. Atqve hæc dixiſſe ſufficiant, in qvantum Calviniani in præſens à nobis conſiderantur. Videamus nunc illorum Doctorem & Defenſorem, Neſtorium.

## VIII.

E) Monuimus autem ſuprà in Prooemio Diſſertationis noſtræ, γγ) qvæ fuerit in genere Neſtorii Hæreſis, diſpiciendũ nunc erit in ſpecie, qvam foverit ille in hac doctrina ſententiam. Si conſulamus genuinos Neſtorii diſcipulos, Calvinianos, nil minus, qvàm genuinos hîc qvidem deprehendimus, ut qvi talẽ ipſi affingunt ſententiã, qvam nec foverit, nec defenderit unqvàm Neſtorius, aſſerentes, Θεανθρώπῳ [qvem in finem, nemini poteſt eſſe ignotum] Neſtorium docuiſſe, tot eſſe in Chriſto Perſonas, qvot ſunt Naturæ. Vid. γγ) Orthodoxus Conſenſus, & conf. δδ) Brochm. Contrarium teſtatur εε) Cyrillus, ζζ) Evagrius, ηη) Hiſtoria tripartita Caſſiodori, θθ) Au-

*ψ) Artic. 3. qvæſt. 3. p. 22. ſqq. conf. p. 32.*

*ω) in Diſp. pro L. C. Diſp. XI. p. 279. idem in Conſeſſ. orthodoxa de Perſona Chriſti c. 3. p. 68.*

*αα) vid. Epiſt. ad Gal. c. 2. v. 21.*

*ββ) in Prooemio p. 31. 32. ſeqq.*

*γγ) de Neſtorii ſententia p. 52.*

*δδ) in Syſtem. L. de Chriſto p. 302. edit. in fol.*

*εε) Tom. 4. Oper. col. 262. 263.*

guſtinus, ιι) Lutherus, & alii, qvi ad unum omnes referunt, Neſtorium nunqvàm, ceu Calviniani fingunt, expreſſis verbis Unionem Perſonalem ſolviſſe; qvin potius totidem ſyllabis adſtruxiſſe unam ſingularem Perſonam in Chriſto, ita, ut duas in Chriſto Naturas diſtinctas in unius Perſonæ conjunctionem perveniſſe ſtatuerit: qvod, ſi verba ſpectes, nemo Orthodoxorum negare ſuſtinebit. Verùm, qvia Naturis diviſis, qvæ erant ipſius unius Perſonæ propria, & in ipſa Unione aliud in Perſona Chriſti Deo, aliud Homini tribuit, tacitè, ſimul & imprudens Unionem Perſonalem negare, & tollere prorſus convictus eſt. Conf. κκ) Geſnerus in Diſpp. pro Libr. C.

ζζ) *Hiſtor. Eccleſ. c. 2.*
ηη) *l. II. c. 5.*
θθ) *in Epiſt. Ep. 95. 96.*
ιι) *Tom.* VII. *Jenenſ. Germ. de Concil. & Eccleſ. fol. 249*
κκ) *Diſp.* XI. *p. 278. 279.*

## IX.

Diſtingvimus E. cum λλ) Carpzovio inter Neſtorii explicitam duarum in Chriſto Perſonarum confeſſionem, & perverſam incarnationis explicationem. Tàm craſſus non fuit Neſtorius, ut duas in Chriſto incarnato Perſonas affereret, [utut vulgò, à poſteriori concludendo, ita loqvamur] id qvod Theſ. proximè præced. copioſè oſtenſum, & ulterius facili negotio oſtendi poſſet. Sed verò, perverſè incarnationis Myſterium explicando, duas nihilominus in Chriſto ſtatuiſſe Perſonas, Epheſini Patres collegerunt rectiſſimè.

λλ) *in Specim. Theolog. Chemnit. p. 310.*

## X.

In qvo verò perverſa illa Neſtorii Explicatio potiſſimùm conſiſtat, de eo multi multa dicunt; qvorum ſententiam vid. apud μμ) Frideric. Petri, νν) Cramerum, & alios, ita tamen, ut nemo illorum præter Chemnitium rem totam abſolvat. Confugiamus ergò ad Eundem, ceu promum condum omnis ſincerioris antiqvitatis D. D. Chemnitium, qvi in ξξ) libr. de duabus Naturis in Chriſto ſingula erroris Neſtoriani capita collegit h. m. Docuit Neſtorius

I.) Verbum aſſumpſiſſe hominem, qvi ſcilicet prius formatus fuerit, & illi homini, per ſe prius ſubſiſtenti, verbum poſteà unitum eſſe, h. e. Verbum aſſumpſiſſe non Naturam, ſed Perſonam, ita, ut duæ ſint Chriſti incarnati ὑποςάσεις.

II.) In illo aſſumpto homine Verbum inhabitaſſe non Perſonaliter,

μμ) *in Proleg. de Vita & Hæreſi Neſtorii p. 15.*
νν) *in Hæreſeol. Claſſ.* IV. *c. 19.*
ξξ) *c. 8. d. l. p. 50. ſeqq.*

naliter, ſed tali modo, ſicut in ſanctis inhabitat, niſi, qvod in illum aſſumptum Hominem dona numero plura, & gradibus majora contulerit, & per Hominem illum, ut per organum, plura, ac majora operatus ſit.

III.) Unionem divinæ & hum. Naturæ definivit ſolâ connexione ſive conjunctione dignitatis ſecundùm participationis effectum, aut ſolâ communicatione virtutis, & operationis in aſſumtâ carne, ſine conventu Naturarum ad unum ὑφιϛάμϑυον.

IV.) Hominem illum dicebat eſſe Deum, & Filium DEi, non, qvod perſona illa conſtaret divinâ & humanâ naturâ, atqve ita naturâ & eſſentiâ eſſet verus Deus, ſed ὁμωνυμία appellationis, vel propter Deum, in illo homine pleniori efficaciâ, qvàm in reliqvis ſanctis inhabitantem, ut veriùs appelletur Homo θεοφόρος ϗ θεοδόχος, qvàm Deus: vel propter æqvalitatem dignitatis, & poteſtatis, collatam illi homini à Deo Verbo.

V.) Voces evangelicas, & apoſtolicas de Chriſto duabus Perſonis dividebat, alias attribuens Chriſto Deo, & non Homini: alias Chriſto Homini, & non Deo, ut Chriſtum Hominem, non Deum dormiviſſe in cervicali. Rurſus verò Chriſtum Deum, & non Hominem imperaſſe mari, & ventis. Mariam peperiſſe hominem, & non Deum; Judæos crucifixiſſe non Deum, ſed hominem; λόγον dicebat tantùm eſſe Deum, & non ſimul Deum & Hominem.

VI.) Docebat, unamqvamqve Naturam Chriſti pro ſe ſuas exercere actiones, ſine communicatione alterius. Et alium dicebat eſſe in Chriſto, qvi ageret divina, alium verò, qvi humana. Hominem dicebat adjuvari operatione verbi. it. Hominem Chriſtum à Spiritu accepiſſe virtutem edendi miracula, qvâ alienâ virtute uſus fecerit miracula, cum Spiritus ille proprius ipſius fuerit. item, Hominem Chriſtum coadorari, & conglorificari cum Deo Verbo. Ita verò videbatur ſeorſim, & ſeparatim ponere Chriſtum Deum, & ſeorſim Chriſtum hominem, atqve hoc modo ex Chriſto facere duas Perſonas, duos Chriſtos, duos Filios, qvorum unus ſit Deus, alter homo.

VII.) Fuit & hoc Neſtorii dogma, divinam Naturam per παράϛασιν ſ. παράϑεσιν h. e. per aſſiſtentiam, appoſitionem, ſ. attin-

gentiam conjunctam eſſe humanæ Naturæ, non per talem περιχώρησιν, ſicut anima unita eſt corpori, & ignis ferro.

VIII.) Cyrillus in multis locis hanc opinionem tribuit Neſtorianis, carnem Chriſti, unitam Verbo, non eſſe vivificatricem. Hoc eſt, divinam naturam, in carne habitantem, ſolam vivificare, non adhibitâ ad hoc opus aſſumtâ naturâ, ſed ſine communicatione ejus, cum non ſit eſſentialis, aut naturalis carnis proprietas. Hanc Neſtorianam opinionem Cyrillus in multis locis graviter refutat. Hactenus Chemnitius.

## XI.

E qvibus Capitibus, Neſtorium Unionem Perſonalem vitioſè definiiſſe, ejusdemqve conſeqvens, communicationem idiomatum planè negaſſe, & ſuſtuliſſe, colligimus.

## XII.

Unionem qvidem perſonalem ſecundùm Chemnitium noſtrum tripliciter vitioſè definivit א) ratione aſſumti juxta cap. I.) ב) ratione formæ. vid. cap. II. III. & VII.) & deniqve ג) ratione propoſitionum perſonalium ex unione emanantium. Conf. cap. IV.

## XIII.

De primo ſciendum, Naturas in Chriſto non niſi hac ratione unitas eſſe ſenſiſſe Neſtorium, qvod λόγος homini prius formato, & per ſe jam ſubſiſtenti conjunctus fuerit; qvô poſitô, λόγος non aſſumſit naturam, ſed perſonam, adeoqve duæ in CHRISTO conſtituuntur perſonæ.

## XIV.

De ſecundo tenemus, qvod λόγον non aliter in aſſumta carne inhabitare, qvàm in ſanctis ſtatuerit, ſub graduali tantùm neceſſitate. Qvô ipſô duas denuò Chriſti perſonas fingi, qvemadmodum ſunt diſtinctæ perſonæ Deus, & ſancti, qvotusqvisqve non videt? Pertinet huc, qvod unionem, qvæ intercedit divinæ, & humanæ naturæ in Chriſto, non per περιχώρησιν, oo) qvalis eſt inter animam & corpus, ſed per nudam παράςασιν ſ. παράθεσιν definiverit. Qvalis inde reſultet arctiſſima naturarum immeatio, qvalis item idiomatum ſ. propriorum communicatio, etiam me tacente, qvilibet, ut opinor, facilè videt.

*oo) in qvantum extendenda hæc ſimilitudo vide ſis apud Geſnerū in Diſpp. pro L.C. Diſp XI. p. 269. apud Eund. in Confeſſ. Orthodo-*

## XV.

De tertio obſervamus hæc, qvòd Propoſitiones Perſonales, qvales ſunt Deus eſt Homo, & vice verſa, vitiosè reſolvendo, merè nominales, & verbales fecerit. Iſtum hominem vocari Deum, non qvòd reverà Deus eſſet, ſed ſecundùm ſolam ὁμωνυμίαν appellari DEUM, nimirum hanc ob cauſam, qvòd DEUS in homine iſtò pleniori efficaciâ inhabitaret, qvàm in reliqvis ſanctis. Fieri item propter æqvalitatem dignitatis & poteſtatis, ſine omni tamen περιχωρήσεως.

*xa de Perſona Chriſti p. 56. & 80. & conf. Grawer. præ-lect. in A. C. Art 3. p. 216.*

## XVI.

Hanc arctiſſimam Unionem Perſonalem ſeqventem communicationem Idiomatum ſecundùm omnes tres gradus ſive genera negavit prorſus & ſuſtulit Neſtorius. vid. cap. V. VIII. & VI. erroris Neſtoriani apud D.D. Chemnitium l. ſuprà dicto. Qvantum ad primum, imperitè negavit, Mariam eſſe Θεοτόκον, h.e. hominem Chriſtum, non Deum ex Maria natum. Qvod attinet ſecundum, negavit carnem Chriſti eſſe vivificam. it. humanam Naturam in unitate λόγου eſſe adorandam, licet coadorandam, qvô ipsô, obſervante ππ) Cyrillo, duæ rurſus in Chriſto conſtituuntur Perſonæ. Qvantum ad tertium, imperitè Deo Chriſto tribuenda cenſuit tantùm divina, & homini Chriſto tantùm humana idiomata. Non hominem, ſed Chriſtum Deum ſanâſſe ægrotos, non hominem, ſed Deum excitâſſe mortuos; non Deum, ſed hominem paſſum, non Deum, ſed hominem mortuum. Ita verò Perſonam diviſiſſe Neſtorium, & aliam Perſonam Dei Chriſti, aliam hominis Chriſti feciſſe, adeoqve in fundamento duas ſtatuiſſe Chriſti Perſonas, & Patres Epheſini, & nos cum ipſis colligimus.

*ππ) de Incarnat. Unigeniti c. 26.*

## XVII.

F) His ita ſuppoſitis, jam facilè erit oſtendere Paralleliſmum, qvi Doctoribus Calvinianis intercedit cum Neſtorio, inprimis, cum habeamus confitentes reos. Secuti igitur ordinem, qvem in detegendo errore Neſtorii ex Chemnitio obſervavimus, argum. h. m.

„ Q. credunt, λόγον non aſſumpſiſſe naturam, ſed Perſonam hominis, illi ſunt Neſtoriani. Atqvi Doctores Calviniani &c. E.

Maj. Propoſitio vel ex terminis conſtat, & fundata inſuper in Theſ. XIII.

Min. probamus I.) expreſſis Calvinianorum verbis; *Tolerabilior*, inqvit pp) Xanchius, *eſt aliorum reſponſio, qvi admittunt, non λόγον tantùm ante carnis aſſumptionem, ſed etiam* ipſam carnem fuiſſe ὑφιςάμενον. II.) Qvia Calviniani negant Communicationem ὑποςάσεως λόγȣ. Hinc naſcitur pro Min. arg. allati Proſyllogiſmus:

„ Q. negant, ὑπόςασιν λόγȣ commnnicatam eſſe humanæ
„ Naturæ, ita, ut λόγȣ ὑπόςασις verè ſit facta carnis
„ ὑπόςασις, illi credunt, λόγον aſſumpſiſſe Perſonam,
„ Atqvi Doctores Calvin. &c. E.

Major patet ex Art. 3. A. C. cujus tamen ſocii haberi volunt Calviniani: Docent Eccleſiæ noſtræ, qvòd Verbum, h. e. Filius Dei, aſſumpſerit humanam Naturam in utero Mar. Virginis, ut ſint duæ naturæ, divina & humana, in unitate Perſonæ inſeparabiliter conjunctæ, unus Chriſtus. Qvî verò Unitas Perſonæ ſalvari poteſt, niſi ὑπόςασις λόγȣ communicata humanæ ſtatuatur naturæ?

Minor. probamus I.) ex σσ) Joſepho Grabio, qvi *monſtroſam vocat verborum formam, cum dicitur λόγον ὑπόςασιν ſuam communicaſſe carni.* Eandem fovet ſententiam ττ) Johan. Piſcator, eum *negat, rectè dici Perſonalitatem Filii Dei communicatam eſſe carni Chriſti.* Idem facit υυ) Wendelinus, *ab humanæ naturæ*, dicens, *in ὑπόςασιν τȣ̃ λόγȣ aſſumptione, ad communicationem ὑποςάσεως ſive perſonæ, non valet conſeqventia.* Rationem addit hanc: *qvia aſſumptio humanæ naturæ ad τȣ̃ λόγȣ ὑπόςασιν conſiſtere poteſt absqve* communicatione ὑποςάσεως: φφ) *ſufficit ſuſtentatio aſſumptæ naturæ hypoſtatica, ſive perſonalis, per qvam ὑπόςασις τȣ̃ λόγȣ verè ſit homo.* χχ) Plures cumulare nolo, cùm ex citat. cuivis abundè conſtet, communicationem ὑποςάσεως λόγȣ aſſumptæ humanæ naturæ factam negare

σσ) *contra Hunnium de Perſona Chriſti p. 49.*

ττ) *in Qq. Miſcell. qvæſt. 8.*

υυ) *l. 1. Chriſtol. c. 16.*

φφ) *non ſufficere accuratè oſtendit Dorſchæus in Theol. Zachar. c. 9. Gerhardus in Exeg. L. IV. §. 123. p. 1255.*

χχ) *Conf. Danhaw. in Hodomor. Calvin. Phantaſm. 8. p. 1513. Calovius in Exam. Doctr. Reform. de Perſona Chriſti, Controverſ. 2. membr. 1. p. 120.*

gare Calvinianos, & per conſeqvens duas introducere in Chriſto ψψ) Perſonas. Conf. ψψ) Geſnerus, ωω) Danhawerus.

II.) Qvia Calviniani Unionem Perſonalem factam aſſerunt ſecundùm παράςασιν. vid. ααα) Martin. Accedit huc, qvòd negent realem communicationem idiomatum. Vid. βββ) Beza, γγγ) Pareus, & alii. Præ ceteris annotationem merentur verba δδδ) Combachii, qvi, *tantum abeſt*, inqvit, *ut realem eſſe aſſeramus eam communicationem*, [ loqvitur autem de ſecundo genere ] *ut verè verbalem, h. e. fraudulentam, fictam, falſam, & purum putum idolum humani cerebri appellemus, utpote absq; fundamento vel Scripturæ, vel ſanæ rationis* [qvaſi verò in hâc Myſteriorum abyſſo audienda eſſet ratio ] *introductum. Ut enim falſiſſima hæc eſt: humana Natura eſt divina Natura, ita & falſiſſimum eſt, qvòd humana natura ſit vel omnipotens eſſentiali eâ, & infinitâ Dei omnipotentiâ, vel omnipræſens omnibus locis, & ubiq;*. Negatâ verò communicatione idiomatum, non poteſt non ſimul negari communicatio ὑποςάσεως, cùm ὑπόςασις λόγȣ, ejusdemqve propria ſive idiomata à parte rei εεε) ſint unum & idem. Jam verò, qvæcunqve realiter idem ſunt, illorum communicatô unô, communicatur & alterum, & unô non communicatô, nec alterum communicari poteſt. Conf. Schröd. de Neſtor. contra Grabium p. 48. & Keslerus in Exam. Metaph. Photin. Sect. 3. part. gener. princip. VII. p. 206. ſeqq. His ita probatis, manifeſtum eſt, Calvinianos jure à nobis argui, qvod haud ſincerè & ex animo [ utut verbis nonnunqvàm profiteantur ] veram & realem communicationem ſubſiſtentiæ credant, ſed re ipsâ eandem potius abrogare, aut certè dubiam reddere, qvantum in ipſis eſt, omnibus viribus contendant.

## XIIX.

Secundum Argum. nobis ſuppeditat Theſ. XIV. qvam ſecuti hôc modô concludimus:

„ Q. λόγον non aliter in aſſumptâ carne inhabitare, qvàm
„ in ſanctis ſtatuunt, ſub graduali tantùm neceſſitate,
„ ideòqve per nudam geſtationem & ſuſtentationem
„ definiunt. It. Q. Unionem, qvæ intercedit Divinæ
„ & humanæ Naturæ in Chriſto, per nudam παράςασιν,

ψψ) *in Confeſſ. orthodoxa de Perſ. Chriſti c. 6. p. 135. ſeqq.*

ωω) *in Chriſteide Art. 1. Opt. Dramat. Theatr. 1. Phænom 9. p. 419.*

ααα) *in Examin. Spicil. cont. D. Menzerum p. 49. & conf. Gerhard. in Exeg. L. IV. §. 123.*

βββ) *Reſponſ. ad Colloqv. Mompelgard. part. 1. p 93.*

γγγ) *in Irenico c. 28.*

δδδ) *tract. de Communicat. Idiomatum c. 5.*

εεε) *vid. Hutterus in Colleg. Theol. de Articul. A.C. & F.C. Diſp. 31. p. 361.*

„ σιν, ſive παράθεσιν deſcribunt, illi ſunt Neſtoriani.
„ Atqvi de Calvin. Doctoribus verum eſt prius. E.

Maj. fundamentum oſtenſum in Theſ. cit.

Min. E. probanda qvà ſingula membra.

PRIMUM erat, Calvinianos λόγον pari modo inhabitare in aſſumptâ carne ſtatuere &c. id qvod probamus I.) ex verbis ζζζ) Petri Martyr. qvi *ſufficere* dicit *Deitatem, qvamvis immenſam & infinitam, ſuâ ὑποστάσει* fulcire, ac ſuſtentare *humanitatem, ubicunqve illa fuerit.* Sic etiam ηηη) Beza, θθθ) Sadeel, ιιι) Sohnius, & alii multi. Conf. Schröder. in Neſtor. contra Grabium p. 172. ſqq. II.) Ex ineptis eorundem ſimilitudinibus, qvarum integrum Catalogum vid. apud κκκ) Frider. Petri, de qvibus jam jam.

SECUNDUM erat, Calvinianos Doctores Unionem Perſonalem definire per nudam παράστασιν &c. ad qvod probandum, producimus I.) Danæum, cujus λλλ) verba hæc ſunt: *In illâ Unione natura tantùm ad Perſonam jam exiſtentem, & per ſe plenè ſubſiſtentem,* fuit adjuncta. Qvam Danæi ſententiam ſeqvuntur Polanus in Logic. & μμμ) Goclenius, *caro*, dicens, *eſt λόγȣ* adjunctum. II.) Huc jam pertinent abſurdæ, qvas ad declarandam Unionem Perſonalem fingunt ſimilitudines. Fingunt enim talem Unionem Naturarum Chriſti apud ννν) Frideric. Petri, qvalis eſt ampliſſimi Oceani, & perexiguæ Antwerpiæ, cui Oceanus ille qvâdam minimâ ſui particulâ alicubi uno breviſſimo loco adjungitur, reliqvis autem omnibus, iisqve numero infinitis partibus extra eam in immenſum diffunditur & extenditur, cum qvibus Antwerpia coëxtendi nullo modo poteſt: qvalis item eſt latiſſimæ circumferentiæ rotæ, & perpuſilli clavi, qvi alicubi rotæ infixus eſt loco non admodum magno, rotâ interim clavum longiſſimè diffusâ. Conf. Graweri prælect. in A. C. Art. 3. p. 39.

ζζζ) *in Dialogo fol. 10.*
ηηη) *in Colloq. Mompelg. p. 245. ſeq.*
θθθ) *de veritate humanæ Chriſti Naturæ p. 172. ſeq.*
ιιι) *in Exeg. A. C. Art. 3.*
κκκ) *in Calvin. Neſtor. c. 10. p. 165. 166.*
λλλ) *in Exam. Chemn. p. 84.*
μμμ) *in Problem. Logic. qvæſt. 40.*
ννν) *l. paulò antè cit.*

## XIX.

Hinc fit, ut Beza, Zanchius, & alii, non vereantur dicere, *totum λόγον eſſe in carne, &* totum λόγον eſſe extra carnem

ſive

ſive naturam ſuam humanam. Vid. ξξξ) Mentzerus, οοο) Danhawerus. Ita πππ) Polanus ὑπόςασιν τοῦ λόγου dicit *eſſe ubiqve*, & extendi ultra naturâ humanam. Confirmat idem ρρρ) Sohnius: *Sin de utriusqve, h. e.* λόγου *aſſumentis & naturæ aſſumptæ eſſentia, & natura qværitur*, inqvit, *tùm* λόγος idem & totus eſt intra, & extra corpus ſuum. Rationem addit, *nam divina eſſentia Filii DEI eſt ſimplicisſima & infinita*. Sic illi. Conf. σσσ) Gerhard. in Exeg.

ξξξ) in Exeg. A. C. Art. 3. p. 135.
οοο) in Hodomor. Calvin. Phantaſm. 8. p. 1460. ſeqq.
πππ) in Syntagm. Theol. l. 6. c. 16. p. 1202.
ρρρ) in Exeg. A C. Art. 3. p. 207.
σσσ) L. IV. ſ. 123. p. 1256. ſeqq.

## XX.

Qvos cùm nimis favere Neſtorio intellexerit Crocius, τττ) diſtinctione qvâdam tanqvàm σοφῷ φαρμάκῳ huic malo mederi conatus, qvæ eſt extra ſeparationis, qvod excludit τὸ intra, & idem eſt qvod Sine. Et extra exceſſus, qvod admittit τὸ intra, & idem eſt qvod ultrà. *Nulla*, dicens, *vera* περιχώρησις *admittit* τὸ *extra* χωριςικὸν: *vera autem* περιχώρησις *Perſonalis admittit* τὸ *extra, qvod eſt infinitionis, amplitudinis, & exceſſûs*. Vanum verò eſſe hoc Crocii effugium eruditè oſtendit υυυ) D. Mentzerus, ex qvo pauca hæc adjicimus: Hæc ſtructura eſt Crociani τοῦ Extra, h. e. Ultra. In qva nuſpiam audis: hoc eſt verbum Domini, ſic locutus eſt Dominus, ita Propheta dixit, ita Apoſtolus: ὁ λόγος eſt Extra, h. e. Ultra carnem: ſed audis proportionem Metaphyſicam, & menſuram Crocianam, & argumentationem ſophiſticam, ad palliandum τὸ Extra Neſtorianum, ſub novo titulo: ὁ λόγος eſt ultra carnem, h. e. amplitudine ſuâ, & immenſitate eam excedit. Meum judicium, pergit, qvi audire volunt, reprobabunt Neſtorianum Extra propter dogmatis falſitatem; Crocii verò Ultra abjicient, non tantùm ut Neſtorianum dogma, verùm etiam ut locutionem inſolentem, & in Eccleſiâ inauditam. Conf. φφφ) Danhaw. in Chriſteide.

τττ) in defens. ſecundæ Partis Converſat. Prut. c. 18. p. 408.
υυυ) in Reſponſ. ad defens. ſecundæ part. c. 17.
φφφ) Act. I. Opt. Dram. Theatr. I. Phænom. 9. p. 420.

## XXI.

Tertium argumentum deſumimus ex Theſ. XV.

„ Q. Propoſitiones Perſonales vitioſè reſolvendo merè nominales & verbales faciunt, illi ſunt Neſtoriani. Atqvi Doctor. Calvin. &c. E.

Major eſt perſpicua, cùm eandem ſententiam foverit Neſtorius.

Minorem probamus ex χχχ) Danæo, qvi Propoſitionem, DEUS eſt Homo, & vice verſa, verbalem eſſe docet. Idem qvi ſentiunt reliqvos vid. apud ψψψ) Mentzer. ωωω) Brochmand. αααα) Gerhard. ββββ) Calov. Cum igitur dicitur, hic Homo eſt Deus, id ita interpretantur; Illud [Deus] qvod in Chriſto eſt homo, [qvi in Perſona Chriſti nominetenus appellatur Homo] eſt DEUS, ut per ſubjectum iſte homo, intelligatur non Homo, ſed ipſemet Filius DEI, qvi eſt, & dicitur homo, & prædicatio fiat identica h. m. hic Homo eſt DEUS, pro Hic DEUS eſt DEUS. Vid. γγγγ) Frider. Petri. Qvando item dicuntur humana de DEO, divina de homine, clamant, eas prædicationes eſſe verbales, non reales, qvod attinet naturas, h. e. eatenus accipiunt Unionem, ut rectè qvidem dicatur de Chriſto Homine, qvòd ſit Deus, & de Chriſto Deo, qvòd ſit Homo, non autem re, ſed tantùm vocabulo utrumqve. Qvam interpretationem ne ipſis affingere videamur, audiamus δδδδ) Bezam: *Si dicimus, illum eſſe Deum, intelligimus ſub vocabulo hominis Deitatem, ſive Filium Dei, hoc modò: Filius DEI, qvi eſt unitus humanitati, & Deitas ipſius eſt DEUS.* Deitas enim humanitati non eſt communicata. Scilicet, ſi credere velis juxta illud: ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, ad Coloſs. II, 9.

χχχ) in Exam. Chemn. c. 12. p. 295.

ψψψ) in Exeg. A. C. Art. 3. p. 136. 137.

ωωω) in Syſtem. Theol. L. de Chriſto c. 12. p. 307.

αααα) in Exeg. L. IV. §. 152. p. 1288. ſq. conf. §. 158. p. 1296.

ββββ) in Exam. Doctrin. reformat. de Perſ. Chriſti. Controverſ. 2. membr. 4. p. 145.

γγγγ) l. ſæpius dicto c. 12. p. 185. ſeq.

δδδδ) in Colloq. Mompelgart. p. 294. Conf. Broch-

## XXII.

Demonſtratô Parallelismô, qvem in Unione Perſonali fovent cum Neſtorio Calviniani; nullo negotio eandem eſſe Calvinianorum de Communicatione Idiomatum ſententiam,

qvæ

qvæ fuit qvondam Neſtorii, oſtendi poteſt. Argumentum ergò juxta Theſ. XVI. formamus per ſingula Communicationis Idiomatum genera.

*mand. in Syſtem. L. de Chriſt. p. 307. b*

I.) „ Q. cum Neſtorio negant, DEUM verè & realiter
„ paſſum, & mortuum, & humanam tantùm intel-
„ ligunt naturam, illi ſunt Neſtoriani. Sed Do-
„ ctores Calviniani &c. E.

*Danhawer. in Hodomor. Calvin. Φ. 8. p. 1481. ſeqq.*

Min. probat εεεε) Danæus, *humana*, inqviens, *natura Chriſti* tantùm *mortua eſt, non tota Perſona.* Cum qvo facit Matth. Martinius: *Humana* tantùm *natura mortua eſt.* Plura Calvinianorum teſtimonia qvi deſiderat, conf. ηηηη) Mentzerum θθθθ) Gerhardum, ιιιι) Danhawerum.

*εεεε) in Exam. Chemnit. pag. 308. ζζζζ) in Spicileg. pag. 184.*

Excipit qvidem κκκκ) Zwinglius: *Num Deus qvoqve pati poteſt? & mox: ergò eundem qvoqve mortuum eſſe fatebimur. Hinc ſeqvetur ergò, qvod Perſona Filii Dei mortem ſubierit &c.*

*ηηηη) in Exeg. A.C. Art. 3. p. 138. ſeq.*

Resp. 1.) Qvicqvid hîc abſurditatis ſibi fingit Zwinglius, idipſum Scripturæ S. impingit, qvæ dicit, Deum proprium Filium pro nobis tradidiſſe, Rom. VIII. 32. Dominum gloriæ crucifixum, 1. Cor. II. 8. Auctorem vitæ eſſe interfectum, Actor. III. 15. & Deum ſuo ſangvine redemiſſe Eccleſiam, Act. XX. 28.

*θθθθ) in Exeg. L. IV. §. 195. p. 1341. ſeq. Eundem in diſpp. Iſag. L. VI. c. 11. §. 57.*

Resp. 2.) Dinſtingv. inter proprietatem naturæ, & Identitatem Perſonæ. Deus cùm ſit immutabilis, conſeqventer etiam ἀπαθὴς ϰ̀ ἀθάνατος, pati, aut mori non poteſt in natura ſua divina; verè tamen & realiter paſſus, & mortuus eſt identitate Perſonæ. Vid. Reſponſio λλλλ) Lutheri ad hanc ipſam Zwinglii objectionem, repetita in F. C. pag. m. 771 & conf. μμμμ) Frider. Petri, νννν) Geſnerum, ξξξξ) Gerhardum, οooo) Wellerum, ππππ) Calovium.

*ιιιι) in Hodomor. Calv. Φ. 8. p. 1498. ſqq. κκκκ) Tom. II. Oper. fol. 457. λλλλ) Tom. II. Witteberg. fol. 188.*



*μμμμ) in Calvin. Neſtor. c. 16. & 17. νννν) in Diſſp. pro L. C. Diſp. XII. p. 313. ξξξξ) in Elencho Sadeel. pag. 112. οooo) in Diſp. 15. & 16. part. 2. Anti-Maſſon. ππππ) in Exam. Doctr. reform. de Perſona Chriſti, Controverſ. IV. membr. 2. pag. 204.*

## XXIII.

II.) „ Q. negant, carnem Chriſti eſſe vivificam. it. eandem eſſe in unitate λόγȣ adorandam, illi ſunt Neſtoriani per Theſ. XVI. Atqvi Doctores Calviniani negant &c. E.

pppp) in Colloq. Mompelg. p. 338.

σσσσ) l. ſæpius cit. c. 4.

Minor eſt bimembris. Prius confirmat Beza pppp) *Vis vivificandi*, dicens, *ita Deitatis propria eſt, ut neqve carni Chriſti, neqve ulli creaturæ communicari poſſit, niſi in Deitatem convertatur.* σσσσ) Danæus, *Chriſtus*, inqvit, *legitur in his terris, & in carne exinanita edidiſſe pleraqve miracula verè divina, velut ambulaſſe ſuper aqvas, ſanâſſe tactu ægrotos, & hujusmodi infinita penè alia. Sed quis propterea collegerit, plenitudinem Deitatis aſſumptæ carni fuiſſe tunc realiter communicatam.* Et paucis interjectis: *ad ea efficienda* non plus caro Chriſti, *qvàm ad edita ab Apoſtolis miracula caro Apoſtolorum contulit,* aut virga Moſis *ad edenda miracula Moſi profuit* &c. Conf. ττττ) Maſſonius. Qvæ hìc relinqvatur inter Chriſtum, & Apoſtolos differentia, qvæve ſimul inſinuetur Unio carnis aſſumptæ cum λόγῳ, vel qvivis, ut opinor, intelliget.

ττττ) part. 2. p. 421.

υυυυ) in Syntagm. Theol. l. 6. c. 16. p. 1213.

φφφφ) part. 2. p. 470.

χχχχ) vid. Calovius in Exam. &c. Controverſ. 8. p. 375.

Operoſi hìc pro Sociis υυυυ) Polanus, φφφφ) Maſſonius, & χχχχ) alii, concedentes qvidem, *Chriſtum carne vivificare, merendo nobis vitam: Deitate verò vivificare, efficiendo & conferendo nobis vitam.* Verùm

Resp. 1.) Contrariatur hæc Calvinianorum aſſertio expreſſis Chriſti verbis, qvæ habentur Joh. c. 6. ex qvo h. m. concludimus: Q. caro non tantùm data eſt pro mundi vitâ, ſed etiam mundo dat vitam, ea non tantùm meritoriè, ſed efficaci divinâ virtute verè vivifica eſt. Connexionis ratio hæc eſt: Ut enim pro mundi vitâ data dicitur meritoriè; ſic dare mundo vitam dicitur effectivè. At caro Chriſti non tantùm data eſt pro mundi vita. *Panis, qvem ego dabo, eſt caro mea, qvam dabo pro mundi vitâ* v. 51. Sed etiam dat mundo vitam: *Pater dat vobis verum panem de cœlo. Et hic panis eſt DEI, qvi de cœlo venit, & dat mundo vitam* v. 33. conf. v. 50. 51. *Hic eſt panis, qvi*

*de cœlo venit, ut, qvi manducat illum, non moriatur. Ego ſum panis vivus de cœlo: qvi de hoc pane comederit, vivet in æternum, & panis, qvem ego dabo, eſt caro mea* v. 51. *Caro mea eſt verus cibus,* conf. v. 54. *Qvi manducat carnem meam, & bibit ſangvinem meum, habet vitam æternam.*

Resp. 2.) Chriſtus non dici poſſet mereri nobis carne ſuâ vitam, niſi caro verè eſſet facta donorum divinorum particeps, adeoqve virtute divinâ vivificandi, eâqve infinitâ prædita. Actus enim, ut notum, præſupponit potentiam, & virtutem. Conf ψψψψ) Brochmand. ωωωω) Schröderus, ααααα) Danhawerus.

ψψψψ) *in Syſtem. Theol. L. de Chriſto, Qvæſt. 3. ſect. II.*

Poſterius membrum præter Danæum, cujus verba vid. Theſ. V. confirmat ββββββ) Beza: *Vides*, inqvit, *Selneccere, evadere te non poſſe horrendæ idololatriæ crimen, ſi carnem illam, in ſe ipſa, qvantumvis ſeorſim eam non conſideres, nec extra λόγον, omnipotentem, & adorandam dixeris.* Rurſum γγγγγ) Danæus: *Maledictus (ait, ex ipſa Perſona Dei loqvens Propheta) vir ille, qvi fiduciam habet in homine, & ſtatuit carnem brachium ſuum, Jerem. XVII. 5. Caro autem Chriſti eſt vera caro, & homo Chriſtus verus homo. Qvi autem religioſo cultu hominem qvem jam adorat, aut invocat, ille fiduciam ſuam in eo habet, qvem ita invocat & adorat. Qvare, qvi ad ipſam Chriſti carnem ſuam adorationem aut invocationem dirigit, is ex ipſius DEI ore eſt maledictus.* Plura ejusmodi Calvinianorum emblemata qvi deſiderat, adeat δδδδδ) Calovium in Exam. Doctr. reform. de Perſona Chriſti.

ωωωω) *de Neſtor. contra Grabium p. 235. ſeqq.*

ααααα) *in Hodom. Calvin.* Φ. *8. pag. 1506. Id. in Hodoſophia Phænom. 8. p. 454. ſeq.*

ββββββ) *vol. 2. Apol. 3. ad Selneccer.*

Cumulat pro more ſuo multa Scripturæ dicta Danæus, & I.) affert dictum Pauli ad Gal. IV. 8. contendens, *Paulum omnes illos vocare Idololatras, qvi eos invocant, qvi non ſunt naturâ Dii. Carnem verò Chriſti non eſſe naturâ Deum.*

Resp. I.) Si συνέχεια textûs conſideratur, etiam me tacente, qvilibet animadvertet, inconcinnè illud dictum pro obtinenda cauſa huc trahi à Danæo. Paulus enim nil minus, qvàm de carne Chriſti agit; ſed loqvitur de mutis Idolis, qvæ ſunt creaturæ, & opera hominum, non Dii naturâ, & his qvondam ſerviiſſe Galatas ipſis in memoriam revocat, ut eò faciliùs ad

γγγγγ) *in Examin. Chemnit. ad c. 29.*

δδδδδ) *Controverſ. 10. p. 439.*

rectam viam, à qvâ & tunc temporis deflexerant Galatæ, reduceret. Naturâ E. Deus opponitur l. alleg. non illi, qvi χά-ριτι, ſive per Unionem Perſonalem DEUS eſt, ſed diis λεγομένοις ſive nuncupatitiis, id qvod patet ex collat. 1. Corinth. VIII. 4. 5. 6.

Resp. 2.) Si illi, ſententiâ Danæi, habendi ſunt pro veris idololatris, qvi carnem Chriſti religiosè adorant, qvales dicent fuiſſe pios in N. T.? qvales ſanctos Patres? qvalem veterem ſanctam, & catholicam Eccleſiam? Nugabunturne, fuiſſe veros Idololatras? & qvalem deniqve nobis confirmabunt eſſe ſuam ipſorum Eccleſiam, qvæ, noſtris uſa cantilenis, carnem Chriſti religiosè invocat, & in Chriſti vulneribus habet fiduciam? Idololatricamne? certè Idololatricam, ſiqvidem vera fuerit hæc Danæi ratiocinatio. Conf. εεεεε) Gerhardum, & ζζζζζ) Schröderum.

*εεεεε) in Exeg. L. IV. §. 266. p. 1451. ſeqq.*

*ζζζζζ) de Neſtor. contra Grabium. pag. 199. ſeqq.*

Urget II.) Locum ex Apocal. c. XIX. v. 10. qvi repetitur c. XXII. v. 9. in qvibus vetare Deum dicit Danæus, ne conſervos & fratres noſtros religioſô invocationis cultu honoremus. Chriſtum autem hominem eſſe conſervum & fratrem noſtrum ſecundùm c. XV. ep. Pauli ad Rom. v. 8. Matth. XX, 28. Hebræor. II. 11. Verùm

Resp. I.) Et hoc dictum imperitè à Danæo huc trahi & extendi. Qvæ enim conſeq. Angelus profitetur, ſe eſſe noſtrum conſervum, ideoqve recuſat adorationem: Chriſtus eſt itidem noſter conſervus, ergò nón eſt adorandus? Exempla hæc ſunt diverſiſſima. Nam Angelus cum Deitate λόγου in unam inſeparabilem Perſonam unitus non eſt: In Chriſto autem Deitas, & humanitas per arctiſſimam περιχώρησιν coaluerunt in unum ὑφιστάμενον.

Resp. II.) Eſto, Chriſtum non tantùm in ſtatu exinanitionis, verùm etiam in gloria eſſe & dici ſervum Dei, ſive ſub Deo, & infrà Deum ſecundùm carnem. Qvibus autē Scripturæ teſtimoniis probabit Danæus, ipſum propterea, qvia ſervus Dei eſt, eſſe noſtrum conſervum? cum Scriptura nuſqvam dicat,

Chriſtum

24

Chriſtum eſſe noſtrum conſervum. Conf. ννννν) Frider. Petri θθθθθ) Brochmand. ιιιιι) Calovius.

ννννν) in Calvin. Neſtor. c. 34. per totum.
θθθθθ) in Syſtem. Theol. L. de Chriſto ſect. 12. quæſt. 2.
ιιιιι) in Exam. Doctr. &c. Controverſ. 10.

## XXIV.

III.) „ Q. humanam Chriſti naturam in operibus officii „ humana tantùm agere ex naturalibus ſuis proprietatibus ſtatuunt, illi ſunt Neſtoriani per „ Theſ. XVI. Atqvi Doctores Calviniani &c. E.

Minorem confirmamus ex κκκκκ) Admonit. Neoſtad. *Utraqve Natura operatur cum altera, qvod uniuscujusqve proprium eſt; humana natura patitur & moritur, divina vult hanc obedientiam, ſuſtentat, ac reſuſcitat; humana prædicat Evangelium, divina dictat, qvid illa loqvatur &c.* Cui ſubſcribit λλλλλ) Danæus: *In communi apoteleſmate efficiendo, unaqvæqve natura habet ſuam, ſibiq; propriam operationem*, qvam alteri naturæ ſibi unitæ neqvaqvàm tamen communicat, *niſi communicare appellemus uniri cum alio, & cum eo agere aliqvid ab alio diſtinctum & diverſum.* Eandem fovet ſententiam μμμμμ) Combachius: *agere utramqve naturam cum communione alterius, qvod cujusqve proprium eſt, non eo ſenſu interpretamur,* qvod una natura alteri communicet vim ſuam *ἐνεργητικὴν, ut ea mediante operetur hâc naturâ. v. g. ut natura divina virtutem faciendi miracula communicet cum natura humana, viq; eâ, à Divinâ ſibi communicatâ, edat miracula.*

κκκκκ) c. 1. p. 22.
λλλλλ) in Exam. Chemn. c. 17.
μμμμμ) Tr. de Communicat. Idiomat. c. 10.

Et hîc varia qværunt diverticula Calviniani, dicentes, qvod, qvorum apoteleſmata ſunt communia, eorum ἐνεργείαι ſint propriæ & incommunicabiles.

Resp. Qvod proprietates ſint, & maneant ſuarum naturarum propriæ, ſed tamen in Perſona Christi inter ſe per περιχώρησιν permixtæ [ſine confuſione] communicentur

centur in hoc genere, h. e. arctiſſimè per immeationem uniantur, & intimè conjungantur in producendo uno apoteleſmate. Qvam tàm arctam ἐνεργειῶν inter ſe penetrationem qvi non agnoſcit, is cum Neſtorio ſolvit Unionem, id qvod breviter erat demonſtrandum.

Μόνῳ Θεῷ δόξα τε καὶ τιμή.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786504005/phys_0029
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786504005/phys_0030
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786504005/phys_0031
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786504005/phys_0032
DFG

 

*rnum.* Digna eſt, quæ tranſlata Latinè hîc
*æc doctrina eſt, quod pœna eorum non ſit interitus*
*ſed ſit pœna maxima & dolor æternus.* Cujus quid-
*abilis cum hâc vita , idque propterea, quia ibi*
*ſpirituale receptivum maximè ejus quod ipſi ac-*
*dem ſenſiſſe Sapientes noſtros p. m. quorum qui-*
( pœna impiorum ) *ſit ignis tenuis , ſubtilis , pu-*
*u. Verba ipſorum ſunt : Ignis,quem nos habemus,*
*a,qui in Inferno ſunt. Sic appellarunt pœnam*
*d* ( impii ) *condemnentur ad combuſtionem , hu-*
*iſſimus , inter cauſas cooperantes , anima verò ſit*
*, ſi reſpexeris craſſitiem eſſentiæ ejus. Differunt*
*catorum per hoc ipſum. Nam quidam condem-*
*aſes, quidam verò condemnantur in generationes*
*admodum extat in Tractatu de principio Anni.*
*ſententia Rambanis de reliquis retributionibus,*
*itulis verò Rabi Elieſeris dixerunt Magiſtri noſtri;*
*n inter animas juſtorum & animas impiorum?*

נפשות של צדיקים גנוזות תחת כסא
הכבוד ונשמתן של רשעים רוממות

*hæ verò non habent quietem : quia dicitur :*

והיתה נפש אדוני צרורה בצרור
אלקיך ואת נפש אויביך יקלענה בתו

*nda motum habet mixtum , modò ſurſum , modò*
*m , modò circularem , prout agit torquens illum*
*ixturam , ſic res ſe habeat in mundo animarum*
*rum reſpectu contorſionis & confuſionis cauſa-*
*ui punit eas. Et his dolor eſt ipſis ineffabilis, pro-*
*r & dimoventur ab uno malo egrediente è naturâ*
*d, nec tamen finiente. Siquidem pœna ipſorum*
*nſummabitur tempus deſtinatum pœnæ eorum,*
*magnum , modò æternum , prout decrevit ſapien-*
*dicavit Mulier nobiliſſima ore ſuo proferens my-*
*At animam inimicorum tuorum projiciet in me-*

 dio vo-